



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvvs I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges Francorvm, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de trabibus maioribus ad Ecclesias restaurandas: quas Domnus Rex ei dare præceperat, & ipsos actores ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistolæ eiusdem Papa, ad
Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de tra-
bibus maioribus ad Ecclesias restaurandas: quas Dominus Rex
ei dare præceperat, & ipsos actores negligentes nihil exinde,
sicut eis à dicto rege iniunctum fuerat fecisse dicit, & de
stanno ad ipsam Ecclesiam sancti Petri
recooperiendam.*

LXVI.

DOMNŌ excellentissimo filio, nostroq; spiri-
tali Compatri Carolo, Regi Francorum &
Langobardorum, atque Patricio Romano-
rum. Adrianus Papa. Sæpè vestræ à Deo protectæ re-
gali potentia poscentes direximus, vt pro mercede
animæ vestræ trabes maiores ad Ecclesias Dei restau-
randas per vestrum Regale præsidium emittere iube-
retis, & nullum ab illis, quibus præceptum est, suscepi-
mus effectum, quatenus & ipsæ Ecclesiæ, in quibus no-
bis trabes maiores necessariae sunt, ex parte ruerunt, &
alias ruere conspiciamus, & ipsas trabes præstolantes,
quid agemus, nescimus & pro hoc in magna tristitia
degentes existimus. Quapropter obnixè vestram
triumphatorissimam excellentiam poscentes quæsu-
mus, vt nulla deinceps eueniat mora, sed per vestrum
à Deo protectum regale dispositum nobis ipsas trabes
maiores celerius emittere præcipiatis: vt nullo mo-
do quemlibet neglectum ponere audeant, quia confi-
dentes prorsus existimus, quantæ Dei Ecclesiæ ex
ipsis trabibus restauratae fuerint, in vestrū sempiternū
memoriale seu Dñæ Reginae, vestræq; nobilissimæ su-
bolis restaurant; quapropter poscim⁹, vt vestrū ppri-
um idoneū Missū dirigere iubeatis, q̄ ipsos actores, qui
pro

*Bar. ibid.
Summ. 15.*

pro iam dictis trabibus neglectum ponere ausi sunt, distringere debeat, ut ipse nobis eas tradere per vestrum dispositum studeat, ut exinde, magnam ut fati sumus, recipere valeatis mercedem.

Porro & hoc vestrae regali potentiae innotescimus, quia Arichis Beneuentanus dux iustitias de hominibus suis quaerens, exercitum duxit super Amalfitanos Ducatus Neapolitani, & vndiq; eos circumualans incendit omnes possessiones eorum atq; habitacula foris posita, quo audito, Neapolitani direxerunt in adiutorium ipsorum plures homines vincentes eos, interfecerunt plurimam multitudinem ducatus Beneuentani. Vnde cum caeteros plures, tum optimates captiuos apud se habent, quod in his vero partibus actum est, vobis enucleatius enunciare festinauimus.

Simili modo & hoc recordari credimus vestram a Deo promotam praecellentiam, qualiter pro amore B. Petri, clauigeri regni caelorum, & eiusdem Ecclesiae restorationis, pro ipsius aulae tecto, vestra excellentia nobis est pollicita dirigere stanni libras mille. Simili modo & Itherius, vester fidelissimus per vestrum eximium dispositum, similiter alias mille libras dirigere promisit, pro quo poscentes petimus vestram regalem praecellentiam, ut ipsum stannum nobis per vestrum bonum dispositum dirigere iubeatis, quia ipsa Ecclesia fautoris vestri B. Petri, tempore verno ab aquis nimis inualuit, & vnde eius aulae tectum restauremus, minime habemus. Sed obnixè petimus, ut per comites vestros, qui in Italia sunt actores, ipsum iam dictum stannum dirigere iubeatis, per vnumquëq; comitem libras centum, ut dignam pro hoc ab ipso Dei Apostolo retributionem suscipere mereamini. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. *Item*